

quaeque ad vitam necessaria eis sunt, sectentur¹. Atqui neutro ex capite plantae sensus expostulant. Non quidem ex primo; nam, cum ipsae ob radicem telluri immobiliter adhaereant, et facultate e loco se movendi destituantur, inutile ipsis foret ea, quae noxia sibi sunt, sensibus apprehendere, quia ea effugere non possent. Nec ex altero; opus enim ipsis non est alimenta quaerere, utiliaque a noxiis discriminare; quia necessarium, quo aluntur, humorem eis se ultro offerentem per fibras, et radices hauriunt. Plantae igitur sensibus frustra, nempe sine ullo fine, donarentur².

85. Id ipsum ab ipsa observatione plantarum comprobare possumus. Re vera, plantae nobis haud praebent in se ulla illorum indiciorum, ex quibus nos animalia sensibus pollere colligimus. Primo enim in ipsis non invenimus organa ad sensationes apta, sed organa tantum, quae nutritioni, augmentationi, et reproductioni inserviunt: secundo, non observamus in ipsis illos motus, ex quibus arguere solemus animalia sensationes, et affectiones, quae ipsas concomitantur, in se experiri. Nihil igitur in plantis nobis occurrit, ex quo sensus in ipsis arguere possumus³.

CAPVT V.

De brutis

Hactenus de infimo genere viventium, nempe plantarum; nunc ad genus, quod illo proxime superius est, nempe brutorum, explicandum accedamus.

ART. I. Bruta non esse automata demonstratur

86. Cartesius post Pereiram⁴ aliquorum veterum sententiam instaurans, contendit belluam esse merum *automatum*, seu ma-

¹ I, q. XCI, a. 3 ad 3. — ² I, q. XVIII, a. 3 c.

³ Cf Alb. M., *Op. cit.*, lib. cit., c. 3. Qua in re advertendum est contra Robinetum motus herbae, quae a manu ipsam attractante aufugit, quaeque idcirco *casta* vocatur, et motus herbae, quae versus solem vertitur, eamque ob causam nomen *heliotropii* habet, nullum indicium sensationis praeseferre, sed ex principio vitali repetendos esse, quod varias leges, proprietatesque in variis corporibus subit.

⁴ Huius medici hispani extat opus a patris et a matris praenominibus *Antoniana Margarita* nuncupatum, Medinae 1554.

chinam affabre constructam, e. g., horologium, ita ut omnes eius operationes non aliud sint, nisi motus, qui legibus mechanicis fiunt¹.

87. Prop. *Belluae non sunt automata, sed vita gaudent.*

Probatur prima pars. Si bruta essent automata, secundum certas, immotasque naturae leges moverentur. Atqui belluae non moventur secundum has leges. Belluae igitur non sunt automata.

88. *Minor* demonstratur ex praecipua lege motus, quae huiusmodi est: *Corpus in motu positum perseverat eadem velocitate, atque in eadem directione, nisi ab aliqua externa causa aut cohibeatur, aut in alias partes determinetur.* Iam haec lex actionibus brutorum accommodari non potest. E.g., saepe magna brutorum corpora a solis hordei, vel palearum tenuissimis effluviis, solo clamore, sibilo, vel hominis adpectu determinari possunt, ut a quiete in motum, vel vicissim transeant; insuper equus ab effluviis determinatus, ut ad hordeum accedat, si mediam fossam invenerit, cursum sistit, et fera, quae inter fugiendum directe venatori occurrit, primo velut admirabunda gradum sistit, tum non directe regreditur, sed, semicirculo facto, per aliam directionem se proripit.

89. *Probatur* altera pars. Actiones brutorum sunt spontaneae, nempe a principio activo intrinseco oriuntur. Atqui actiones huiusmodi sunt vitales². Ergo principium vivens in brutis agnoscendum est³.

90. *Maior*, quae iam ex dictis colligitur, ita comprobatur: In belluis motiones conspicimus illis omnino similes, quae in nobis fiunt. E. g., eadem in ipsis, ac in nobis, sunt capitis commotiones, eadem oculorum conversiones, eademque, ne cuncta persequamur, pedum elevationes, tensiones et contractiones, atque hae easdem ob causas in nobis, ac in ipsis, fiunt. Atqui huiusmodi motiones in nobis esse spontaneas indubium est. Ratum igitur, indubiumque sit oportet illas in brutis quoque esse spontaneas.

91. Obiici. Cartesiani: Deus in suis operationibus nil frustra molitur, et simplicissimis utitur viis. Atqui Deus potuit auto-

¹ *Discours de la methode*, part. 5, c. 9.

² Cf *Dynam.*, c. I, art. 1, p. 95, vol. I.

³ Cf s. Aug., *Lib. de duab. anim. contr. Manich.*, c. 4, n. 4.

mata condere illis motionibus efficiendis idonea, quas in belluis conspicimus. Ergo belluae automata sunt.

92. Resp., *Neg. min.* Et sane Deus, quamvis omnipotens sit, non potest naturas rerum, quas condidit, mutare, quin ipsas res destruat, quia quaelibet res per suam essentiam, seu naturam constituitur. Atqui Deus, si automata, quae Cartesius commentus est, crearet, naturas rerum mutaret. Nam natura cuiuslibet rei, uti in *Ontologia* diximus⁴, fons, et principium est operationum eius; operationes autem, quas in belluis observamus, ut modo ostendimus, eiusmodi sunt, ut naturae automati cartesiani omnino repugnent. Ergo Deus automata, qualia Cartesius belluas esse contendit, condere non potuit.

ART. II. *Cuiusnam speciei vita brutorum sit, investigatur*

93. Inter illos, qui animam inesse brutis tuentur, nemo contendit ipsam esse dumtaxat vegetativam, sed cum omnes animam belluinam esse principium vegetativum fateantur, acriter disputant, utrum sit principium dumtaxat vegetativum, et sensitivum, an etiam intellectivum.

94. Prop. 1^a. *Anima brutorum est sensitiva*².

Probatur. Brutorum anatome nos edocet bruta iisdem externis, internisque organis instructa esse, quae vitae sensitivae hominis cum externae, tum internae inserviant. Atqui « organa, ut scite advertit s. Thomas, sunt propter potentias³ ». Ergo in belluis facultates sentiendi sunt.

95. Praeterea, bruta actiones exerunt, quae facultates sentiendi expostulant. Ergo anima brutorum est sensitiva. *Antecedens* expositione operationum brutorum demonstratur⁴. Et sane de sensationibus, quae referuntur ad res externas, dubitandum non est; belluae enim illas operationes edunt, quae visui, auditui,

¹ Cap. II, art. 2, p. 15.

² Ex huius propositionis demonstratione sententiae Cartesianae abnormitas magis, magisque confirmatur.

³ I, q. LXXVIII, a. 3 c.

⁴ In recensendis his operationibus agimus de belluis perfectis, in quibus vis sentiendi, quantum illarum natura fert, tota evolvitur. Sunt enim, quemadmodum inferius dicemus, quaedam species brutorum, quae, cum ad plantas proxime accedant, proindeque infimo sensitivae vitae gradu polleant, perpaucas operationes vitae sensitivae exercent.

gustui, odoratui, et tactui tribuuntur¹. Quod autem belluae sensationes suas, earumque differentias sentiant, ex eo evincitur, quod ipsae utilia a noxiis discriminant². Phantasticas vero operationes a brutis exerceri vel sola illorum somnia ostendunt³. Actiones autem memoriae *sensitivae* valde perspicuae in ipsis sunt. « Memoriam, s. Augustinus inquit, non rerum intelligibilium, sed harum corporearum et bestiae habere sentiuntur⁴ ». Nec facultatis, quae *aestimativa* dicitur, belluae expertes sunt, quippe quod « ipsae, ut Genuensis verba usurpemus, de obiectis, quae nondum videre, praeiudicant, ea esse amica, aut inimica praesciunt; nam, si amica fuerint, totae se comparant, ut blande, amiceque excipiant; contra vero, si inimica praesagiant, exasperantur, seque ad proelium veluti accingunt, in aciem, si res ferat, proditurae⁵ ». Denique non sunt minus levia, et frequentia in belluis appetitus sensitivi indicia. Etenim ipsae cibos, et ea, quae vitae sunt necessaria, assequi nituntur; ea, quae sibi noxia sunt, cavent; obstacula, quibus boni sibi convenientis adeptio, aut possessio impeditur, a se amoliri conantur.

96. Prop. 2^a. *Anima brutorum rationis est expertis*⁶.

Probatur contra Codillachum⁷, qui post Rorarium⁸, Montanum⁹, aliosque¹⁰ tuetur bruta facultatibus intelligendi pollere,

¹ Cf s. Aug. *In Ioann. c. II*, tract. VIII, n. 2. Quin etiam, ut idem sanctus Doctor advertit (*De Civ. Dei*, lib. VIII, c. 15), nonnulla bruta in aliquo genere operationum, quas sensitivas dicimus, exercendo hominibus longe excellunt.

² Cf *Dynam.*, c. III, art. 7, p. 119, vol. I.

³ Cf *ibid.*, art. 8, p. 121.

⁴ *Cont. Epist. Fundam.*, c. 17. Cf *Dynam.*, *ibid.*, art. 10, p. 123, vol. I. Quin etiam bestiae, observante s. Basilio (*Hexaem. Hom. VIII*, n. 1), domino suo aberrante, quandoque iter commonstrant.

⁵ *Dissert. De anima brutorum*, § 4, *Elem. met.*, tom. III. Cf *Dynam.*, *ibid.*, art. 9, p. 124, vol. I.

⁶ Haec concors fuit doctrina veterum Patrum, qui haereticos rationem belluis tribuentes vehementer redarguerunt. Cf s. Basil., *Homil. VIII in Hexaem.*, n. 2; s. Greg. Nyss., *De officio hominis*, c. 30; s. Aug., *De Trin.*, lib. X, c. 4.

⁷ *Traité des animaux*, c. 1, 2, et passim, Amsterdam 1755.

⁸ *Quod animalia bruta saepe ratione utantur melius homine*, libri duo, Helmstadii 1728.

⁹ Montaigne, *Essais*, lib. II, c. 12, Paris 1725.

¹⁰ Inter hos commemorandus est Malebranchius, *De inquir. verit.*, lib. V, c. 3, et lib. VI, pars II, c. 7.

tametsi hae arctioribus, quam facultates hominum, limitibus coercentur ¹. Et sane, si bruta, perinde ac homines, ratione pollerent, cognitionem eorum, quae sibi utilia, aut noxia sunt, rationis investigatione et institutione sociali, perinde ac homines, adquirerent. Atqui bruta, uti advertit s. Thomas, *non ex propria inquisitione* ², et *sine hoc, quod ab aliis doceantur* ³, utilia a noxiis discriminant, quia, statim ac in lucem eduntur, ea, quae sibi consentanea sunt, sectantur, atque ea, quae sunt contraria, vitant. Ergo bruta ratione non pollent.

97. Praeterea, si belluae ratione pollerent, nec semper operarentur idem, nec omnes operarentur simili modo. Certe non operarentur idem, quia obiectum rationis non est aliquid particulare determinatum, sed universale, et indeterminatum, ac proinde ratio non cogitur ad aliquid determinatum, sed circa multa, atque opposita versatur. Neque omnes eodem modo semper operantur; quia, cum rationem libertas consequatur, ipsae pro libero intellectus sui iudicio operationes suas diverso modo exererent. Id in animalibus, quae ratione pollent, nempe in hominibus, conspicimus; hi enim multa, diversaque agunt, neque ea, quae agunt, simili modo agunt. Atqui belluae, ut cuique experientia compertum est, idem semper operantur ⁴, et quae unius speciei sunt, cunctas suas operationes similiter exerunt ⁵. Ergo belluae rationis expertes sunt.

98. Exinde hoc aliud argumentum conficere lubet. Illud proprium est animalium, quae ratione pollent, quod singula, cum a noto ad ignotum discurrant, operationes suas in dies perficiunt, et tota species ex singulorum progressu sensim perficitur. Atqui belluae nec singulae suas operationes in dies perficere valent, nec unaquaeque species ex variarum aetatum successione progredi potest, quia ipsae, ut diximus, ad quasdam

¹ Condillachum pauci alii secuti sunt, inter quos principem locum obtinet Leroy in suo op., *Lettres sur les animaux par un physicien de Nuremberg*, Paris 1781. Eadem sententia inter veteres Pythagorae, Anaxagorae, et Parmenidi tribuitur, deinceps Plutarcho, Porphyrio, Celso, Manichaeis, aliisque, uti iam innumis, haeticis probata fuit.

² *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XVIII, a. 7 ad 7.

³ *In lib. II Sent.*, Dist. XX, q. II, a. 2 ad 5.

⁴ *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXIV, a. 1 c.

⁵ *In lib. II Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 2 ad 7.

operationes exercendas naturaliter determinantur, et quae unius speciei sunt, illas similiter exercent ¹. Ergo belluae, cum nullius progressus, perfectionisque capaces sint, ratione carere dicendae sunt ².

99. Accedit quod, concessa brutis ratione, nihil certe vetat, quin loquela, quae, aiente s. Thoma, « est proprium opus rationis ³ », eis concedatur, quia pleraque eorum organis ad voces edendas opportunis instruuntur. At bruta habent quidem signa naturalia, quorum ope affectiones suas secum invicem communicant ⁴; sed ea a perfectione sermonis longe distant, quia a brutis eduntur naturali instinctu, non autem ea mente, ut affectiones suas aliis manifestent ⁵. Itaque belluae nulla vi intelligendi pollent. « Animae bestiarum, ait s. Augustinus, vivunt, sed non intelligunt ⁶ ».

100. Obiic. Sunt aliquae brutorum operationes, quae quamdam eis intelligentiam esse comonstrant. Ergo.

101. Resp., *Neg. ant.* Et sane operationes illae ex instinctu, non ex aliqua intelligendi vi fieri dicendae sunt. Hoc iam s. Augustinus observaverat. « Multa mira, ait, ante oculos nostros de apibus vera sunt, longe tamen ab huiusmodi irrationabilium animantium, quamvis mirabili, sensu distare rationem, quae non hominibus, et pecoribus, sed hominibus, angelisque com-

¹ Hoc experientia comprobatur. Nos enim videmus belluas toto vitae curriculo easdem operationes edere, eundemque modum in illis edendis tenere, atque ex historiis animalium identidem conscriptis discimus species brutorum, quae in praeteritis aetatibus observatae sunt, easdem operationes, eodem modo, ac illas, quas nunc conspicimus, exercuisse.

² Flourens, ut ab hac difficultate se expediret, contendit belluas in suis operationibus nec progredi, nec esse ullius progressionis capaces, non quia ratione destituuntur, sed quia ratio in ipsis a reflexione seiungitur. Sed nos Flourensi reponimus reflexionem facultatem intelligendi necessario concomitari; quare, si belluae facultate reflectendi carent, ratio ipsis inesse nequit.

³ I, q. XCI, a. 3 ad 3.

⁴ Cf. s. Aug., *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 2, n. 3. « Bruta, inquit s. Thomas, habent valde paucos conceptus, quos paucis naturalibus signis exprimunt »; *De Ver.*, q. IX, a. 4 ad 10.

⁵ « Etsi bruta animantia aliquid manifestent, non tamen manifestationem intendunt; sed naturali instinctu aliquid agunt, ad quod manifestatio sequitur »; *2^a 2^{ae}*, q. CX, a. 1 c.

⁶ *De Trin.*, lib. X, c. 4, n. 5.

munis est ¹ ». Quod si nonnullae brutorum operationes quamdam rationis similitudinem praeseferunt, id ab Aquinate hac ratione explicatur: Iudicia brutorum, cum sint *instinctiva*, ac proinde *naturalia* ², operationibus rerum naturalium similia sunt. Quare « bruta . . . sequuntur iudicium sibi a Deo inditum ³ »; et proinde « habent motus interiores, et exteriores similes motibus rationis ⁴ », ita ut « habeant principium ordinatum de aliis ⁵ ».

ART. III. *Utrum anima brutorum materialis, an immaterialis dicenda sit, inquiritur*

102. Animam, eamque sentientem, belluis inesse novimus. Jam anima, quae in belluis vegetat, et sentit, una, et eadem esse debet. Re quidem vera, principium, quod in brutis vegetat, et sentit, eorum forma substantialis esse debet, quia est illud, ex quo bruta in sua specie constituuntur, et ex quo effectus sibi

¹ *De Gestis Pelagii*, c. VI, n. 18. Cf s. Basil., *Homil.* in illud: « Attende tibi ipsi », n. 2.

² *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XXVI, a. 1 c. Huiusmodi iudicia, ut idem sanctus Doctor inquit, sunt « determinata ad hoc, quod id, quod uno modo proponitur, vel occurrit, eodem modo accipitur, vel fugiatur »; *Ibid.*, a. 2 ad 7. Cf *Dynam.*, c. III, art. 9, p. 124, vol. I.

³ *Op. cit.*, q. cit., a. 1 c. — ⁴ *1^a 2^{ae}*, q. XLVI, a. 4 ad 2.

⁵ *Qq. disp.*, *ibid.* a. 2 c. Exinde sanctus Doctor rationem exponit, qua bruta quamdam prudentiam participare, et futura praecognoscere dicuntur. Quod ad prudentiam attinet, ita inquit: « Ex hoc contingit, quod in operibus brutorum animalium apparent quaedam sagacitates, in quantum habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, utpote a summa arte ordinatos. Et propter hoc etiam quaedam animalia dicuntur prudentia, vel sagacia; non quod in eis sit aliqua ratio, vel electio: quod ex hoc apparet, quod omnia, quae sunt unius naturae, similiter operantur »; *1^a 2^{ae}* q. XIII, a. 2 ad 3. Quoad autem futurorum praecognitionem: « Ex instinctu naturali movetur animal ad aliquid futurum, ac si futurum praevideret; huiusmodi enim instinctus est eis inditus ab intellectu Divino »; *Ibid.*, q. XL, a. 3 ad 1. Praestat etiam cum eodem sancto Doctore illud advertere, quod nullus habitus proprie acceptus in brutis inveniri potest, quia habitus proprie sumti, ut diximus in *Dynam.* (c. I, art. 10, p. 104, vol. I), ratione comparantur, « vires autem sensitivae in brutis animalibus non operantur ex imperio rationis » (*1^a 2^{ae}*, q. L, a. 3 ad 2). At, quoniam « bruta animalia a ratione hominis per quamdam consuetudinem disponuntur ad aliquid operandum sic, vel aliter, hoc modo in brutis animalibus habitus quodammodo poni possunt »; *Ibid.*

proprius producant. Atqui, ut alibi innuimus ¹, in quolibet composito naturali forma substantialis non nisi una esse potest. Ergo unum, et idem est principium, quod in brutis vegetat, et sentit ². Quia vero brutum naturam suam specificam sumit non ex eo, quod vegetat, sed ex eo, quod sentit ³, consequens est illud unicum principium, quod forma substantialis dicitur, esse principium sentiens, seu principium vegetativum, quod ad altiorem ordinem principii sensitivi assurgit. Et sane, nulli dubium esse potest, quin principium sentiens principio, quod mere vegetativum est, natura sua excellat. Atqui « forma perfectior virtute continet quidquid est inferiorum formarum ⁴ ». Ergo in brutis una et eadem anima, nempe sentiens, per diversas potentias, quae ab eius essentia fluunt ⁵, non solum operationes sensitivas, sed etiam quidquid anima vegetans in plantis praestat, exequitur ⁶.

103. Quenam sit natura huius principii, quod vegetat, et sentit, inter Philosophos non convenit; ipsi enim pro suorum systematum varietate in diversas sententias discesserunt. At nos secundum theoriam peripatetico-scholasticam de principii, quae compositum naturale constituunt, naturam animae belluinae explicamus. Atque in primis nonnullas notiones, quae illius systematis veluti consecutaria sunt, in memoriam revocemus oportet.

¹ *Esse materiale* diversa ratione praedicatur de substantiis completis, ac de forma, quae, uti ex dictis in Capite primo colligitur, est substantia incompleta. Etenim substantiae completae *materiales* dicuntur corpora, quae, cum actu iam constituta sint, extensione, divisibilitate, aliisque corporum proprietatibus polent. Formae autem *materiales* dicuntur illae formae, quarum « esse, ut s. Thomas ait, est per hoc, quod insunt materiae ⁷ », nempe formae, quae habent esse concretum in materia, ita ut a materia in esse, et operari pendeant ⁸. E contrario, formae im-

¹ P. 101.

² Hoc magis perspicuum fiet in *Anthropologia*, ubi de unitate animae in homine disseremus.

³ « In hoc, quod est sensitivum esse, consistit ratio animalis »; *De sensu, et sensato*, lect. II. — ⁴ I, q. LXXVI, a. 6 c.

⁵ « Fluunt ab essentia animae . . . in brutis . . . potentiae non solum vegetativae, sed etiam sensibiles, a quibus determinatur eorum anima »; *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 11 ad 2.

⁶ Cf *Qq. disp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 3 c.

⁷ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 30. — ⁸ *Ibid.*, lib. IV, c. 81.

materiales, vel *spirituales* dicuntur illae formae, quae a materia in suo esse non pendunt, proindeque ab ea separatae subsistere possunt. Hinc formae immateriales, secus ac materiales, *subsistentes* nuncupantur ¹.

2° Inter esse *materiale* priori significatione acceptum, et esse *immateriale*, sive inter corpus, et spiritum, nihil medium esse potest. At vero si *materiale* altera significatione sumatur, diversae eius species esse possunt. Nam, cum formae sint materiales ex eo quod a materia in esse, et operari pendunt, ipsae ob diversam rationem, qua *ad materiam deprimuntur* ², magis, vel minus materiales sunt, ac proinde minus, vel magis ad immaterialitatem accedunt ³.

104. His praestitutis, sequentes propositiones demonstrandas aggredimur:

Prop. 1°. *Anima brutorum non est materialis eo modo, quo materiale est corpus.*

Probatur. Corpus est aliquid « ex materia, et forma compositum ⁴ ». Atqui anima brutorum est forma, non autem ipsum compositum ex materia, et forma. Ergo ipsa aliquod corpus esse non potest. Praeterea, anima brutorum est principium, per quod ipsa vivunt, et sentiunt. Atqui principium huiusmodi non potest esse corpus, secus omne corpus viveret, et sentiret. Ergo ⁵.

105. Prop. 2°. *Anima belluina non est forma immaterialis, seu quae per se subsistit, sed ad genus formarum materialium pertinet, ita tamen, ut ad immaterialitatem proxime accedat.*

Probatur prima pars. « Natura uniuscuiusque rei ex eius operatione ostenditur ⁶ ». Atqui brutorum operationes huiusmodi sunt, ut non nisi in corpore, et per corpus exerceri possint, quia « operationes animae sensitivae non complentur sine corporalibus instrumentis ⁷ ». Ergo anima belluina etiam in suo esse a corpore pendet. Atqui forma, quae a materia pendet, non est forma *subsistens*, sed est forma, quae esse suum concretum in materia habet, ac proinde genus formarum materialium non su-

¹ « Formae immateriales sunt per se subsistentes »; *Qq. disp., De Pot.*, q. IX, a. 3 ad 5.

² *Qq. disp., De Virtut.*, q. I, a. 1 ad 4.

³ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 68.

⁴ I, q. III, a. 2 *sed contr.* — ⁵ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 58.

⁶ I, q. LXXVI, a. 1 c. — ⁷ *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 11.

pergreditur ⁴. Ergo anima belluina ad genus formarum materialium pertinet.

106. Idem argumentum hac alia ratione exhiberi potest: Omnis res secundum suam formam, sive secundum suam speciem agere debet, quia forma est principium, ex quo actiones oriuntur; quapropter, si anima belluina esset forma subsistens, proindeque immaterialis, actiones cognitrices eius circa immateriale versari deberent. Atqui consequens est falsum, quia cognitio brutorum, uti ostendimus, supra sensilia non assurgit. Ergo anima belluina genus formarum materialium non supergreditur ².

107. Altera pars ex cognitione sensitiva, quae belluarum propria est, facile colligitur. Enimvero « ratio cognitionis ex opposito se habet ad rationem materialitatis ³ ». Atqui sensus species rerum sensibilibus *accipit quidem cum earum conditionibus materialibus*, sed tamen *sine materia* ⁴. Ergo, sicut anima intellectiva ex eo, quod « abstrahit speciem non solum a materia, sed etiam a materialibus conditionibus individuandis ⁵ », est immaterialis; ita anima sensitiva, in qua « sunt species rerum sensibilibus, sine propriis materiis, sed tamen secundum singularitatem, et conditiones individuales, quae consequuntur materiam ⁶ », non esse quidem forma immaterialis, sed ad immaterialitatem proxime accedere dicenda est ⁷.

⁴ « Forma, quae non est per se subsistens, non habet alium modum a modo subiecti, quia non habet esse, nisi in quantum est actus talis subiecti, et ideo mensura formae est mensura compositi »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. II, a. 3 *sol.*

² Id iam Gennadius (*De Eccles. Dogmatibus*, c. 17, App. ad *Opp.* s. Aug. t. VIII) docuerat hisce paucis: « Solum hominem credimus habere animam substantivam . . . , animalium vero animae non sunt substantivae ».

³ I, q. LXXXIV, a. 2 c.

⁴ *Ibid.* — ⁵ *Ibid.* — ⁶ *Qq. disp.*, q. un. *De Anim.*, a. 13 c.

⁷ Exinde perspicitur animam belluinam non esse materialem, perinde ac formae rerum animae expertium, atque animae vegetabilium. Etenim cognitio sensitiva supergreditur non solum operationes rerum vita expertium, quia hae sunt a principio extrinseco, illa autem a principio intrinseco; sed etiam operationem animae vegetabilis. Nam operatio vegetabilis « fit per organum corporeum, et virtute corporeae qualitatis »; verum cognitio sensitiva ex postulat quidem quasdam qualitates corporeas, « non tamen ita quod mediante virtute talium qualitatum operatio animae sensibilis procedat; sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organum »; I, q. LXXXVIII, a. 1 c.

ART. IV. *Qua ratione anima belluina indivisibilis sit, explicatur*

108. Brutorum anima spectari potest vel dumtaxat prout est in se aliqua forma, abstracta a corpore, quod informat, vel prout actu corpus informat. Iam, si priori modo consideretur, non nisi veluti indivisibilis cogitari potest. Etenim divisibilitas est proprietas quantitatis, atque haec materiam consequitur; quare, cum forma non sit materia, sed ad materiam se habeat, veluti actus ad potentiam, necesse est formam secundum se esse unam, et indivisam ¹.

109. Si altero modo spectatur, certum etiam est ipsam non esse in se divisibilem in partes, quae ex quantitatis divisione exurgunt; siquidem, cum divisio in partes quantitatis non nisi corporum sit, ipsa in anima brutorum, quae, uti ostendimus, corpus non est, obtinere nequit ². Quocirca quaestio circa illud tantum vertitur, utrum anima belluina, prout corpus informat, sit divisibilis *per accidens*, hoc est, ratione extensi, quod informat.

110. Prop. *Animalium praecipue perfectorum anima ne per accidens quidem divisionem admittit.*

Probat. Non aliae formae possunt esse divisibiles per accidens, nisi quae divisibili ratione materiam informant, adeo ut in qualibet earum partium, in quas quantitas dividitur, forma maneat ³. Atqui in animalibus perfectis anima indivisibili ratione corpus informat. Ergo ipsa ne per *accidens* quidem divisibilis est.

111. *Minor* demonstratur hoc modo: Indivisibili modo informatur ab anima illud corpus, quod ex pluribus organis coale-

¹ Cf. s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. I, c. 42, n. 13. E. g., *igneitas*, si a corpore, quod igneum est, seiuncta consideretur, non nisi tamquam aliquid simplex intelligi potest.

² Id magis perspicuum fiet in *Anthropologia*; in hac enim ostendemus obiectum cognitionis sensitivae, quam brutis inesse iam vidimus, non posse attingi ab aliqua re multiplici.

³ Cf. s. Thom., I, q. LXXVI, a. 8 c. Unde, monente eodem sancto Doctore, in corporibus animae expertibus « potest dividi unumquodque eorum in diversas partes similes specie, sicut patet in aere, aqua, et in corporibus mineralibus. Unde oportet quod, si partes sint similes specie ad invicem, et toti, forma specifica post divisionem sit in utraque partium »; *In lib. II De Anim.*, lect. IV.

scit, quorum singula diversam, ac totum, rationem habent, atque ita inter se connectuntur, ut unum, cum a toto separatur, actiones sibi proprias exercere non possit; nam non possent illa diversa organa hoc modo inter se connecti, nisi instar unius indivisibilis ad animam, a qua informantur, sese haberent. Atqui eiusmodi est corpus organicum animalium perfectorum; nam, si in duo corpora dividatur, nullum eorum formam totius retinet, et nulla pars a toto discerpta vivere, et operari potest. Ergo corpus organicum animalium perfectorum indivisibili ratione ab anima informatur ⁴.

112. Diximus animalium *perfectorum*; nam animae animalium imperfectorum, « quia imperfectiores sunt aliis, modicam diversitatem organorum requirunt. Et inde est, quod una pars decisa potest esse animae susceptiva, utpote habens tantum de organis, quantum sufficit ad talem animam suscipiendam ² ». Hinc fit, ut haec animalia imperfecta, cum in partes secantur, tot constituent animalia, quot sunt partes sectae.

113. Quam autem ratione haec animae brutorum divisibilitas accipienda sit, idem sanctus Doctor explicuit his paucis: « In animabus annulosis ³, quae decisa vivunt, est una anima in actu, et multae in potentia; diviso autem corpore animalis praedicti, in qualibet parte vivente incipit anima esse actu ⁴ ». Et sane, in corpore animalis imperfecti non nisi una anima *actu* esse potest, quia, cum unicum sit animal, principium eius formale unicum esse debet. At, si corpus in plures partes dividatur, animae in singulis partibus actu esse incipiunt, quippe quod singulae partes, in quas corpus animalis imperfecti dividitur, organa ad

¹ Inde patet animam brutorum non esse indivisibilem ex eo, quod a materia non pendet, ac proinde ordinem formarum materialium excedit; sed ex eo dumtaxat, quod indivisibili ratione corpus informat, ita ut ad diversas partes non nisi velut ad unum, et indivisibilem organismum se habeat. Quapropter ex hac indivisibilitate animae brutorum haud colligi potest ipsam, perinde ac animam humanam, esse spiritualem.

² *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 12 ad 5. Idem dicendum est de anima plantae, nam haec, « quia imperfecta est in ordine animarum, non requirit magnam diversitatem in partibus; unde anima totius potest salvari in aliqua partium »; *In lib. II De Anim.*, lect. IV.

³ Dicuntur animalia *annulosa* illa, quae scelecto destituuntur, et pro fulcimento habent pellem plexibus transversariis, veluti *annulis*, distinctam; cuiusmodi sunt, e. g., *bombyces*. — ⁴ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 89.

vitam sufficientia habent. Qua de re in animali imperfecto, dum una est anima actu, plures potentia sunt ¹.

ART. V. De animae brutorum ortu, atque interitu

Ex iis, quae circa belluinae animae naturam statuta sunt, haud difficulter intelligere licet, quid de eius ortu, ac interitu sentiendum sit.

114. Prop. 1^a. Anima belluina oritur per generationem ².

Probatum contra Wolfium, aliosque, qui animam belluinam non aliter posse oriri, quam per creationem, arbitrati sunt ³. Animae brutorum, quemadmodum ostendimus, non sunt formae subsistentes. Atqui harum formarum proprium est produci non per creationem, sed per generationem. Ergo origo animarum brutorum non ex creatione, sed ex generatione repetenda est.

115. Probatum minor. Modus rerum originem explicandi modo, quo ipsae res habent esse, respondere debet ⁴. Atqui esse formarum subsistentium, seu immaterialium non solum a materia non pendet, sed etiam ordinem rerum materialium supergreditur; e contrario, esse formarum non subsistentium absolute a corpore pendet, ordinemque materialium principiorum non omnino supergreditur. Ergo illae a materia in fieri non pendent, ac proinde non per eductionem a materia, sed per creationem oriuntur; hae autem « in esse non producuntur, nisi quatenus producat corpus in esse; unde sicut producit corpus per actum naturae generantis, ita et formae praedictae ⁵ ».

116. Hoc argumentum maiorem perspicuitatem ex eo sumit, quod animae brutorum, cum non sint subsistentes, « habent se in essendo ad modum aliarum formarum corporearum ⁶ », hoc est, ita ut esse non proprie ipsis, sed potius per ipsas composito substantiali conveniat ⁷; quare etiam fieri non de ipsa anima,

¹ Cf s. Bonav., In lib. II Sent., Dist. XV, a. 1, q. I ad arg.

² Cf s. Hieron., Epist. LXI, adv. errores Ioan. Hierosol.

³ Psych. ration., sect. IV, c. 3. Hanc Wolfii sententiam vel eodem modo, vel leviter immutatam quamplurimi, inter quos nuper Tongiorgius (Op. cit. Psych., lib. I, c. III, art. IV), amplexati sunt.

⁴ In lib. II Sent., Dist. XVIII, q. II, a. 3 sol.

⁵ Qq. dispp., De Pot., q. III, a. 11 c. — ⁶ I, q. CXVIII, a. 1 c.

⁷ « Formae secundum se a materia dependentes non ipsae proprie habent esse, sed composita per ipsas »; Contr. Gent., lib. II, c. 51.

sed de toto composito substantiali proprie praedicatur. Atqui compositum substantiale in iis, quae ad ordinem materialem pertinent, fit per eductionem formae e materia ¹. Ergo « anima sensitiva educitur de potentia materiae in brutis ² ».

117. Quod si quaeras, quomodo anima belluina generetur, in promptu est responsio s. Thomae, ipsam produci « in concepto non per actionem corporis, nec per decisionem animae, sed per actionem virtutis formativae, quae est in semine ab anima generante ³ ». Revera sanctus Doctor, alique Scholastici docuerunt generationem proficisci ab anima, tamquam a causa principali; sed quoniam haec non potest agere in distans sine aliquo medio, ad animam generati producendam quodam instrumento, seu virtute opus ipsi esse ⁴. Itaque « anima generati causatur ab anima generantis, vel a virtute derivata ab ipsa; quae est in semine ⁵ »; quia « sicut per animam materia transmutatur, ut convertatur in totum in actione nutrimenti, ita et

¹ Cf p. 105-106.

² In lib. II Sent., Dist. et q. citt. ad 1.

³ Qq. dispp., De Pot., q. III, a. 11 ad 16.

⁴ Haec virtus ab ipsa anima in semen derivatur: « Ex anima generantis derivatur quaedam virtus activa ad ipsum semen animalis, vel plantae, sicut et a principali agente derivatur quaedam vis motiva ad instrumentum » (I, q. CXVIII, a. 1 c.); unde « licet semen non sit animatum actu, est tamen animatum virtute » (Qq. dispp., De Pot., q. III, a. 12 ad 11). Vocatur ista virtus a Scholasticis virtus formativa, atque a cel. Blumenbachio (De nisu formativo, Gottingae 1781, et Nuperae observationes de nisu formativo, et generationis negotio, Gottingae 1787), aliisque recentibus, qui fere idem, ac Scholastici, senserunt, nisu formativus. At vero alii maxime inter recentes putant in semine non solam virtutem ad generandum animal, sed ipsum animal, licet perexiguus, et haud conspicuus partibus veluti miniatum, existere, ita ut animal generetur per evolutionem, atque enodationem minimorum suorum membrorum, quae in semine continentur. Haec sententia, quae theoria praeevantiae dici solet, a recentibus Physiologis, aiente Fredaultio (Physiologie générale, lib. III, c. 1, De la génération, Paris 1863), in universum reicitur, quia notioni generationis adversatur. Namque illud, quod gignitur, ens productum novum vulgo existimatur. Atqui, si animal in semine, ex quo gignitur, actu continetur, per generationem non producit ens novum, sed ens, quod iam existit, evolvitur, atque augetur. Ergo theoria praeevantiae notionem generationis destruit. Cf s. Greg. Nyss., De homin. opific., c. 29, et s. Thom., In lib. II Sent., Dist. XVIII, q. II, a. 3 sol.

⁵ I, loc. cit.